ut deus et dominus noster eruat eos ab erroribus universis
et ad sanctam matrem ecclesiam catholicam atque
apostolicam revocare dignetur. Oremus

Omnipotens sempiterne deus qui salvas omnes et ne
minem vis perire respice ad animas diabolica
fraude deceptas ut omni heretica pravitate
deposita errantium corda resipiscant
et ad veritatis tuae redeant unitatem. Per

Oremus et pro perfidis iudeis ut deus et dominus noster
auferat velamen de cordibus eorum ut et
ipsi agnoscant ihesum christum dominum nostrum.

Oremus. Non dicit flectamus genua

Omnipotens sempiterne deus qui etiam iudaicam
~~perfidiam~~ a tua misericordia non repellis
exaudi preces nostras quas pro illius populi
obcecatione deferimus ut agnita veritatis tuae
luce quae christus est a suis tenebris
eruantur. Per eundem dominum nostrum.

Oremus et pro paganis ut deus omnipotens auferat
iniquitatem a cordibus eorum et relictis ido
lis suis convertantur ad deum vivum et ve
rum et unicum filium eius ihesum christum deum et
dominum nostrum cum quo vivit et regnat deus cum
spiritu sancto per omnia secula seculorum. Oremus